

[Faint, illegible handwritten text on a large sheet of paper, possibly bleed-through from the reverse side.]

1
14
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12




1676.

1. ^{14. 6} ₂ Pecher, Georgius Paulus: De comparatione literarum
? 3. Aufl. 1676-1740.
2. Felzer, Johannes Paulus: De irregularitate contractuum.
3. Franke, David Bartholomaeus: Praeceptum de non alienando
estha familiarium.
4. Funcker, Conradus: De simulatione
5. Leibnizius, Johannes Jacobus: Respublica Platonis
6. Huebnerus, Sebastianus Christophorus: De ma Simonio
lege Julia contractu.
7. Schubarth, Theophilus Valentinus: De centena Vagrorum Jent. Decret.
8. Nicolai, Joh. Ludovicus: De jure terminorum et finium.
9. Pastorius, Franciscus Daniel: De rasura documentorum.
10. Radcliff, Henricus: De acceptatione et ejus jure.
11. Schroeder, Theodorus: De avaritia in Germ. von Haverley.
12. Wagenstetius, Joh. Christophorus: De catalogo Imperatorum,
qui post Francicos, ab interregnum usque, imperio Germanico
praefuerunt.

1677.

1. Hammer, Georg Richard: De legato proceptoris
2. Hoffmannus, Johannes Mauricius: De linguae tum naturalis,
tum praeter naturalis, ut et signis eainde preteritis
3. et Kyber, Terentius: De colono partiaris. 25 uncl.
4. Rader, Johann Josua: De iure conducenti.
5. Linck, Hieronimus: De subsidio charitativis.
6. et Linck, Hieronimus: De exheredatione bona mente
facta.
7. Linck, Hieronimus: De iuramento diffinitionis.
8. Mack, Theophilus Ruders: Tabularum practiconum centuria
una.
9. Waeffler, Jacobus: De pacto quatae litis




41
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40



1. *Linnaeus, G. G. Systema naturae*
2. *Hoffmann, Johann Maximilian: De lingua humana, humani corporis naturalibus, et et signis naturalibus*
3. *Kyber, Thomas: De coloribus praesens*
4. *Lucas, Johann: De jure corporali*
5. *Lucas, Maximilian: De subiectis characteribus*
6. *Lucas, Maximilian: De subiectis characteribus humanis*
7. *Lucas, Maximilian: De jure corporali*
8. *Lucas, Maximilian: De subiectis characteribus humanis*
9. *Lucas, Maximilian: De subiectis characteribus humanis*





J. J.
EXHEREDATIONEM
BONA MENTE FACTAM,
 PRÆSIDE
RECTORE MAGNIFICO,
DN. HEINRICO Sinden / D.
& Antecess. nec non Reip. Norib.
 Consiliario,

Ad diem Novembr. ANNO M. DC. LXXVII.

IN ALMA ALTDORFFINA

P. P.

JOHANNES LUDOVICUS Unker /
 Halâ-Saxo.

ALTDORFFI

Typis Johannis Henrici Schönnerstedt.

Mons. Schilling

J. J.
EXHEREDATIONEM
BONA MENTEFACTAM.

PRASIDE
RECTORE MAGNifico,
D. M. HEINRICO S. M. A. D.
& Amice, nec non Rep. Nobil.

Consilio,
Anno M. DC. LXXVI
IN ALMA ACADEMIA

P. P.
JOHANNES LUDOVICUS S. M. A. D.
Hals. S. M.

Typis Johannis Henrichs Schaefferi



Præloquium.

PEr insignis Juris nostri præsumtio est, quod parentes optimum semper de liberis consilium capere, ac seminis sui majorem, quam extraneorum, rationem habere censeantur, quam partim *Jus Civile in l. nec in ea. 22. §. fin. ad L. Jul. de adult.* partim etiam *Jus Canonicum in c. est probanda 16. dist. 86.* nec sine ratione suppetat; Amoris siquidem qualitas, quæ naturalis est, semper inesse præsumitur. *Barbos. Locuplet. lib. 14. cap. 8. axiom. 8.* Quod procedit, etiam si parentes actum suscipiant, qui prima fronte liberis parum utilis videtur, per doctrinam *Bart. & Alciat. 1. præsumt. 2. n. 1.* cum leges, modo actus non sit ita comparatus, ut exinde parentes liberos suos lædere voluisse constet. *Zaf. ad l. 1. §. substituere. 3. de vulg. & pup. subst. n. 45. atq. Menoch. lib. 4. præsumt. 28. n. 2.* omninò credant, quod non sint facturi aliquid parentes, si commodum liberorum non concernat. Atque ex hoc ipso principio fluit, quod pater filiam, in adulterio seu ipsa turpitudine domi suæ, vel etiam in domo generi deprehensam, unà cum adultero occidere possit, *per l. patri. 20. & seq. ad L. Jul. de adult.* quod triste jus tamen non solummodo leges ipsæ *in d. l. 20. & seq. ut & in l. nihil interest. 32. eod.* Sed & *Dd.* multis restringunt modis, de quibus, præter alios, consuli potest *Anton. Matth. ad lib. Pand. 48. tit. 3. c. 3. n. 13. & seq.* Consimili modo Jus vitæ ac necis ex *L. Romuli* parentibus in liberos propterea concessum esse videmus, quod Legislatores crediderint, nunquam eo sævitia perventuros esse parentes, ut in pro-

A primum

1.
Præsumtio
de optimo
parentum
consilio ex
Iure deduci-
tur.

2.
Per interne-
cionem filiz
in adulterio
deprehensæ
confirma-
tur.

3.
Ut & per Jus
vitæ & necis
parentibus
concessum.

prium sanguinem sine causa exercerent crudelitatem. *Vid. Francisc. Frrier. ab Andler. in Jurispr. lib. 1. de Patr. potest. n. 10.*
 Quæ effrenis tamen & immanis potestas sensim abrogata, ac Constantini sanctione in *l. ult. C. de patr. potest.* parentibus adempta est, cum vel ipsa natura, quæ ad prolium potius amorem & conservationem parentes invitat, hoc nefas satis prohibeat. *Andler. cit. loc. Bodin. quidem 1. de Republ. 4.* vel ex hoc præsupposito jus istud postliminio quasi revocandum esse suadet, quod parentes vitæ ac necis potestate nec abuti possint, nec etiam, si possint, velle censeantur, cum major eorundem in liberos sit amor, quam ut crudelius quicquam in eos tentare possint. Verum quamvis præsumptio nostra suo non destituatur effectu, periculosum tamen est, ob eandem solam contra divinas & naturæ leges perniciosissimo exemplo parentibus amplissimam conferre potestatem, ut ad abusum potestatis patriæ data ruant porta. Exempla quidem ejusmodi crudelium parentum *Bodin.* requirit. Ast illa frequentissima sunt, imò ipsemet omnium crudelissimum refert *6. de Republ. 5.* de rege Dejotaro, qui filios duodecim uno eodemque peremit tempore. Quare, cum paternum jus in pietate, neutiquam verò in atrocitate consistere debeat. *l. Divus. 5. ad L. Pompej. de Parric.* ac sacra scriptura *Deuter. 21. v. 8. & seq.* impiam *Bodini* opinionem non tam confirmet, quam potius infirmet: Parentes enim filios suos rebelles ad iudices adducere jubet, non eam ob causam, quam ipse affert, sed propterea, ut doceatur, sine cognitione & decisione judiciali, propria autoritate & vindicta privata parentibus liberos occidere minimè licere, ipsius asserto meritò *cum Zabel. apud Arum. vol. 1. Jur. Publ. Discurs. 34. pos. 4.* nostrum denegamus calculum; præsertim quia jure novo Justiniano moribusque nostris multa pristino rigori patriæ potestatis adempta & ad pietatem restricta sunt, monente acutissimo *Frantz. ad Pand.*

4.
 Bodinus jus
 illud vitæ &
 necis revo-
 candum esse
 censet.

Ejus tamen
 sententia re-
 probatur.

Pand. tit. de his, qui sui vel alien. jur. n. 17. Ad quam pietatem præ cæteris quoque spectat, quod parentes liberos suos sæpius exheredes scribere possint, non ut ipsis noceant, sed ut saluberrimè potius prospiciant, nec ut obsint, sed ut consulant, prout J Ctus Ulpianus *in l. multi. 18. de liber. & posthum.* notanter loquitur, quæ exhereditatio à J Ctis *bona mente* fieri dicitur. *Rittershus. ad Nov. p. 6. c. 3. n. 22.* Hancque materiam, cum utilissima, atque hæctenus, quantum scimus, haud plenariè, sed sparsim solùm à veteribus Juris Interpretata sit, loco Speciminis Academici explanandam esse duximus. Faxit modo SS. Trias, ut conatus noster exoptatum attingat scopum!

s.
Ad pietatem
paternam
Exhereditatio bona
mente facta
pertinet.

THES. I.

Existentiam Exheredationis bona mente factæ nemo sane, qui jura nostra vel leviter inspexit, inficias ibit. *Multi namq, inquit Ulpian. in l. multi. 18. de lib. & posth. non nota causa exheredant filios, non ut eis obsint, sed ut eis consulant.* Idem repetit *in l. si patronus. 12. §. 2. de bon. libert. in verbis: Si quis non mala mente parentis exheredatus sit, sed alia ex causa, exhereditatio ipsi non nocet.* Ulpiano suffragatur Paulus, qui *in l. Paulus. 47. in pr. eod.* respondet: *Exheredationem nepotis, quæ non nota gratia, sed alio consilio facta est, nocere ei non oportere.* Consentit Tryphoninus, qui *in l. si furioso. 16. §. 2. de Curat. furios. vel al.* sequentia proponit: *Potuit pater & aliàs providere nepotibus suis, si eos jussisset heredes esse, exheredasset filium (scil. prodigum) eiq, quod sufficeret alimentorum nomine, ab eis certum legasset, addita causa necessitateq, judicii sui.* Tandemque calculum addunt *Impp. Dioclet. & Maxim. in l. filius matrem. 25. C. de inoff. test.* qui filiorum nomine inofficiosa actionem denegant patri, quoties *mater nullam injuriam fecit, sed potius putavit providendum.* Quæ omnia exheredationem nostram, quam ductu LL. *cum Gloss. Interpretes,* tum veteres, tum recentiores, agnoscunt, satis superque comprobant, ut adeò, cum verba textus per se

Existencia
Exhereditationis bona
mente factæ
ex LL. deducitur.



fat clara sint, sine ulteriori eorundem explicatione ad ipsam rei tractationem progredi possimus. Hoc namque finaliter citati textus omnes præ se ferunt, quod pater, videns liberos suos vel impuberes, vel etiam ejus ætatis ac morum esse, ut hereditatem sibi delatam facile consumturi sint, heredes extraneos licite instituere, eorumque fidei committere possit, ut filiis vel alimenta præbeant, vel etiam, si ad legitimam pervenerint ætatem, aut ad sanos redierint mores, hereditatem restituant. Quibus casibus liberi, licet parentes eosdem exheredaverint, de patris inofficioso testamento nec conqueri, nec etiam ejusdem nullitatem allegare possunt: Exheredatio enim ad commodum filiorum facta est. *Jason. ad d. l. multi. 18. de lib. & posth. n. 1. & 5. Duaren. ad eund. tit. de lib. & posthum. c. 3. p. m. 345.*

Quod exheredatio sit duplex, bona mente & notæ causa facta, demonstratur.

II. Neque tamen hic necessarium ducimus, in derivationem & ambiguitatem Exheredationis prolixius inquirere, cum operam hanc Interpretes passim, præcipue *Hillig. ad Donell. lib. 6. c. 12. Meier. in Colleg. Argent. tit. de lib. & posthum. hered. instit. th. 21. eumque secuti Bicc. in Aur. sect. 3. thes. 82. lit. SS. in not. & Dr. Rebhan. in Hodog. Fur. chart. 2. clim. 2. parallel. 3. thes. 28.* præclare præstiterint. Sufficiat nobis pro solidiori materiæ nostræ enucleatione, quod exheredatio duplex sit, *alia*, quæ fit *bona mente*, non notæ causa, *alia* verò, quæ *notæ causa* peragitur, adeoque injuriam liberis infert, *arg. l. 18. de lib. & posthum. Colleg. J. Argent. cit. loc. thes. 22.* Confer. in simili, quod olim divortium aliud bona gratia, quod Imper. *in Nov. 22. c. 14. in fin.* mitiorem matrimonii solutionem; Ambrosius verò dimissionem cum bona venia vocat, aliud verò cum ira animi & offensa, sicque cum repudio peractum fuerit, *l. cum hic. 32. §. 10. de donat. inter vir. & uxor. Nov. 22. c. 4. & seq. Rittershus. ad Nov. p. 6. c. 3. n. 22.*

De Exheredatione notæ causa facta breviter

III. *Posterior* in odium liberorum concepta est, ad hoc, ut ab hereditate planè removeantur; quod quidem ab initio *ex L. 12. Tabb.* simpliciter parentibus licuisse videtur, tum quia

quia ipsis in filios jus vitæ ac necis competiit, per *l. in suis. II. de lib. & posthum.* tum etiam, quod verisimile visum fuerit, parentes sine causa remedio hoc neutiquam usuros esse, per ea, quæ *Frantz. ad Pand. tit. de inoff. testam. n. 67.* tradit. Postmodum tamen in gratiam liberorum querela inofficiosi testamenti invaluit, qua intentata probarent, se immerenter vel indigne exheredatos fuisse, *l. nam & 5. ff. & l. 28. C. de inoff. testam.* parentibus forte novercalibus delinimentis instigationibusque corruptis, *l. inofficiosum. 3. cum seq. ff. eod.* Tandem & hoc Imperator Justinianus correxit, atque infirmata præsumptione ingratitude, quæ adversus liberos allegari poterat, heredibus scriptis onus probandæ ingratitude, ad quod olim non nisi voluntarie tenebantur, *vid. d. l. liberi. 28. C. de inoff. testam.* imposuit, insimulque constituit, ut parentes non nisi ex certis ac determinatis ingratitude causis, exheredationi nominatim adjectis, liberos à successione excluderent, prout *ex Nev. II. c. 3.* fusius liquet. Add. *Francisc. Barry. de Success. lib. 10. tit. 2. n. 7. & 8. atq; Vaud. lib. 2. quest. 19.* Sed hanc exheredationem, tanquam à scopo nostro alienam, hîc plane omittimus.

agitur, cum à scopo nostro aliena sit.

IV. Prior verò, quæ nostri instituti est, bona mente eum in finem peragitur, ut his, qui exheredantur, consulatur, inde quoque non nisi improprie & abusive nomine exheredationis venit. Quamvis enim vocem seu figuram exclusionis habeat, mens tamen testatoris non est, ut excludat, sed potius, ut prospiciat, *juxta cit. l. 18. de lib. & posthum.* eaque propter à *Bald. ad Auth. Ex causa. C. de lib. præter. n. 42. sub fin.* abusiva & impropria exheredatio vocatur, quæ vocem exclusionis quidem continet, mentem tamen testatoris finaliter & realiter non ad excludendum, sed ad provisionem spectantem complectitur. Dicitur aliàs exheredatio non notæ causa facta *in cit. l. 18.* item non mala mente facta *in l. si patronus. 12. §. 2. de bon. libert.* ut & non notæ

Bona mente facta, cum liberis prospiciat, improprie exheredatio vocatur.

Varias fortitur appellationes.

gratia, sed alio consilio adjecta, in *l. Paulus. 47. pr. ff. eod.* Quare *Cujac. ad Papinian.* non tam injuria, quam providentia audit, teste *Meier. in Coll. Jur. Argent. de liber. & posth. th. 22.* Est enim favorabilis, bono consilio facta, juxta doctrinam *Mantic. de Conject. ult. vol. lib. 4. tit. 11. n. 13.* Unde quoque arg. eorum, quæ hætenus dicta sunt, sequentem in modum describi potest, quod sit actus, quo is, qui alioquin necessario instituendus vel exheredandus est, non nota causa, sed bona mente, ut ipsi consulatur, ab hereditate vel nominatim, vel etiam per præteritionem excluditur.

Tandemq;
describitur.

Exheredatio
bona mente
facta latius
sumitur,
quatenus
etiam præteritionem
complectitur.

V. Hæc ipsa verò descriptio affatim monstrat, quod vocabulo exheredationis, prout in *thes. antecedenti* monuimus, non tam in propria & specialiori significatione utamur, quatenus actum denotat, per quem suus heres ab hereditate paterna meritis de causis summovetur. *l. etsi. 3. §. 2. 3. & 5. de lib. & posth.* Hæc enim exheredatio in extraneo inepta res est, per *l. quidam. 132. pr. de V. O.* in verbis: *An & hic exigimus exheredationem vel emancipationem, res in extraneo ineptas?* *Dn. Rebhan. in Hod. Jur. chart. 2. clim. 2. parall. 3. th. 28.* Sed generaliore potius præsupponamus significatum, quatenus accipitur pro quacunque ratione adimendi hereditatem ei, ad quem aliàs jure devolvitur, ita ut præteritionem à patre factam, juxta doctrinam *Jason. ad l. 18. de lib. & posthum. n. 2.* Matris aliorumque à matre ascendentium, & militis comprehendat, *l. si patronus. 12. ff. de bon. libert.* Imò ad parentes & fratres referatur, secundum *Nov. 115. c. 4. & Nov. 22. c. 7.* quatenus & hi per liberos & fratres à successione excluduntur, quam eis lex defert. *l. ult. C. quor. bon. Mantic. de Conj. ult. vol. lib. 4. tit. 11. n. 10. Coll. Jur. Argent. tit. de lib. & posth. th. 21.* Unde porrò fluit, quod hæc nostra exclusio, si non ex vocis proprietate, utpote quæ *Bachov. ad Treutl. vol. 1. D. 13. th. 1. lit. A.* repugnare videtur, tamen ex juris analogia in *exheredationem* in specie sic dictam, & præteritio-

Adeoque in
Exheredationem &
præteritionem
dividitur.

teritionem, tum simplicem, tum illam, quæ vice exheredationis fungitur, commode dividi possit. Vid. Jason. cit. loc. Hillig. ad Donell. lib. 6. c. 12. lit. N. & Dn. Brunnem. ad l. 18. de lib. & posth. n. 1. Hucq; spectat, quod Bald. ad Auth. Ex causa. C. de lib. prat. n. 23. exheredationem favorabilem, quæ bono fit consilio, in expressam & tacitam distinguat.

VI. Hanc divisionem verò non solum in genere l. si patronus. 12. de bon. libert. ubi præteritio silentio facta exheredatio nominatur, sed & in specie l. si emancipatus. 16. de bon. poss. contr. tab. disertis comprobatur verbis. Ibi namque filius emancipatus heredem extraneum instituit, eundemque rogavit, hereditatem nepoti restituere, si ab avi potestate liberatus esset; Neque tamen avus, si suspectus sit, quasi consumpturus bona nepotis, bonorum possessionem, nomine nepotis, petere potest. Quamvis enim nepos præteritus sit, ut adeo bonorum possessionem contra tabulas petere possit, per l. 3. pr. & d. l. 16. eod. hinc tamen merito cessat, cum filius nepotem præterierit, aliumve heredem instituerit, ut nepoti consuleret. Gloss. ad d. l. 16. Duren. ad tit. de lib. & posth. c. 3. p. m. 345. Licet ergo silentium matris ac aliarum ejusmodi personarum vere & proprie non sit exheredatio formalis, habetur tamen pro exheredatione, juxta §. ult. Inst. de exhered. lib. Mantie. d. tit. II. n. II. proptereaq; à Bald. ad cit. Auth. Ex causa. C. de liber. prat. n. 2. tacita exheredatio vocatur. Quare concludendum, quod omnia, quæ de hac nostra proponuntur exheredatione, ad præteritionem quoq; ita applicanda veniant, ut & ob eandem præteriti de inofficioso testamento conqueri nequeant, si modo consulendi causa, neque malo animo facta sit. Duren. cit. loc. atq; Hillig. ad Donell. dict. lib. 6. c. 12. lit. N. etiam si parens filium præterierit. Nam & propter talem præteritionem testamentum, quod totum fit ad favorem & provisionem filii, non rumpi, neq; bonorum possessionem locum habere, ex Jason. d. l. & infra dicendis patet.

Divisio proposita per Leges confirmatur.

Quæ de exheredatione proponuntur, etiã ad præteritionem applicanda sunt.

VII. An

Origo Exhe-
redationis
nostræ ex
jure deduci-
tur.

VII. *Auspicia sua* hæc nostra Exheredatio, perinde ut altera, quæ notæ causa peragitur, Legum debet sanctioni. Cum enim sui heredes vivo patre quodammodo rerum paternarum domini sint, usque adeò, ut ne quidem acquirere hereditatem videantur, sed dominium suum solummodo continuare, magisque liberam administrationem consequi, *juxta l. in suis. ii. de lib. & posthum.* non potuit sane pater sine legis concessione jus illud filiis auferre, eosque à dominio rerum suarum excludere. *C. J. A. tit. de lib. & posthum. th. 23.* Recepta verò hac suorum heredum exclusionem, exheredatio postmodum latius extensa, tandemque per varias Legum sanctiones determinata est; Præcipuè verò *LL. XII. Tab.* latissimam patribusfamil. tribuerunt potestatem & heredes instituendi, & legata libertatesque dandi, ut nempe, uti unusquisque rei suæ legasset, ita jus esset, *per l. 120. de V. S. & Nov. 22. c. 2. in pr.* modo solennitates necessarias, in institutione vel exheredatione liberorum consistentes, adhibuerit, quæ statim quoque post latas istas Leges ex interpretatione Juris interpretum introductæ ac postmodum variæ determinatæ sunt, ne alioquin liberis præteritis testamentum nullum esset. Hanc ob causam *in l. 30. de lib. & posthum.* inter cætera, quæ ad ordinanda testamenta necessario desiderantur, principale jus vocantur. In specie verò exheredatio ita permissa fuit, ut quandoque in favorem liberorum, ut illis confuleretur, bona intentione & mente fieri potuerit, *per text. in th. 1. allegatos l. scil. 18. de lib. & posth. l. 16. §. 2. de Curat. furios. l. 12. §. 2. & l. 47. de bon. libert.* Vid. *Frantz. k. ad Pand. de inoff. testam. n. 8. atq; Val. Forster. de Jurisd. Roman. p. 1. in explic. L. Romuli. 6. n. 20.*

Quod tamen
Iuri Natura-
li conveniat,
demonstra-
tur.

IIIX. Neque tamen Juri Naturali hæc nostra exclusio contrariatur. Largimur equidem, quod in successibus, vel ipsa duce ratione & consensu omnium, quas novimus, Gentium, liberi præferantur reliquis, etiam ipsis parentibus. Favet namque liberistum parentum obligatio, quæ ad li-

ad liberos alendos & bene educandos arctius illos adstrin-
git, tum affectus vehementissimus, quem nonnisi enormia
liberorum scelera, aut inusitata parentum feritas extinguit.
Pufend. de J. N. & G. lib. 4. c. 11. §. 3. Accedit, quod, vel na-
turali necessitate suadente, omnes homines bene illis ma-
lint, per quos ipsis gloria & honor comparatur, quàm aliis;
Honor autem & gloria unicuique post mortem per liberos
potius, quàm alios quoscunque homines contingit, ut vel
inde colligendum veniat, patrem potius liberis suis, quàm
quibuscunque aliis prospicere, adeoq; id ipsum velle, ut præ
reliquis ejusdem successores existant, juxta doctrinam *Hob-
bes. de Civ. c. 9. n. 15.* Hoc tamen tunc demum procedit, si
alia signa ac indicia in contrarium non existant, *Hobbes d.
l. Grot. lib. 2. de J. B. ac P. c. 7. n. 7.* ad quæ etiam hæc nostra
exclusio comode referri potest. Illa siquidem, quæ alimen-
ta excedunt, liberis, qui sibi ipsis prospicere possunt, non
tam ex diserto præcepto Juris Naturalis, quàm potius pro-
pterea debentur, quia communiter nemini lautius prospe-
ctum volunt parentes, quàm ex se genitis, ut eatenus spem
ad bona paterna præ reliquis habeant liberi. Neq; tamen
propterea necessum est, ut æquis portionibus parentes bona
inter ipsos semper dividant. Æqualis namq; successio libe-
rorum ex Jure Naturæ præceptivo haud fuit, sed in ἀδιαφορία
consistit, ut per consequens pro lubitu mutari possit. *Dn.
Zigler. ad Grot. d. c. 7. §. 4.* Unde jam facile patet, quod pa-
rentes ob singularia bene merita, aut præclaram spem, vel
peculiarem affectum, nonnullis liberis præ cæteris eximii
quid non solum assignare, & in distribuendo patrimonio ra-
tionem totius familiæ, ut illa splendorem suum & firmita-
tem retineat, habere, sicque liberos cæteros quandoque bo-
no consilio excludere possint, *Pufend. d. lib. 4. cap. 11. n. 7.*
Sed & quod lege & pacto constitui queat, ut illi, qui ex con-
jugio justo nati sunt, alimenta solum accipiant, aut certè

B

à præ-

à præcipua hereditatis parte excludantur. *Add. Dissert. nostr. de Matrim. L. Salica contract. c. 2. n. 27 & seq. atq; Grot. lib. 2. de J. B. ac P. c. 7. §. 8. sub fin. ibiq; Dn. Bæcler. in Not.* Jam quod in liberis obtinet, multo magis ad alios, qui præter liberos necessario heredes instituendi vel exheredandi sunt, extendi potest. His enim non propter votum defunctorum, sed tantum propter ordinem mortalitatis turbatum, gratitudinem educationis atque propinquitatem sanguinis hereditas pie relinquere debet, *per l. quam & si. 15. de inoff. testam. ibiq; Brunnem. Frantz. k. de inoff. test. n. 27. Grot. d. c. 7. n. 9. & seq.*

Bona mente omnes parentes liberos suos exheredare possunt.

IX. Competit hæc nostra exhereditatio non tantum parentibus, qui suos heredes habent, sed & cæteris omnibus, sive liberos in potestate habeant, sive non, *juxta l. in fideicommissi. 3. §. 3. de usur.* Non enim à patria potestate, sed à parentum potius pietate, amore, cura ac provido consilio dependet, *arg. l. si furioso. 16. §. 2. ff. de Curat. furios. vel al. quæ causa, cum omnibus parentibus communis sit, omnino efficit, ut & is, qui liberos emancipavit, mater, aliive ascendentes hac excludendi potestate gaudeant, d. l. 3. §. 3. de usur. Bartol. ad l. cum ex filio. 39. de vulg. & pup. subst. n. 1. Barry de Success. lib. 10. tit. 2. n. 24.* Add. quoque illa, quæ *Coll. J. Arg. tit. de lib. & posthum. th. 23.* proponit. Sed hic non incommode quæritur:

Disquiritur: An liberi suos parentes bona mente exheredare possint? Negativa recensetur. Affirmativa ob adductas rationes probatur.

An & liberi parentes suos bona mente exheredare possint? Negativa vel inde probanda censetur, quod *text. citati omnes de liberis loquantur, ut extra oleas vagari periculosum videatur, præcipue cum parentes potius filiis, quam filii parentibus thesaurizare debeant, juxta c. cum Apostolus. 6. de Cens.* Verùm quia & filius patri furioso, prodigo, illique, qui rebus suis aliàs præesse nequit, curator dari potest, si modo probus sit, *per l. lege. 11. §. 2. & l. sed & r. 2. ff. de Curat. furios. & al. l. his qui. 12. §. 1. de tut. & cur. dat. ab his. adeo, ut furiosæ quoq; matris curatio ad eundem pertineat, juxta l. 4. de Curat. furios. propter rationem in d. l. propositam, quod, licet non potestas*



potestas, pietas tamen parentum æqualis sit. *Vid. Dec. Confil.*
274. n. 2. Dn. Brunnem. ad l. 3. C. de Curat. furios. vel prodig.
 Ideo vel argumento hujus curatellæ concludimus, quod &
 filius, modo de probitate vitæ ac bono ejusdem animo
 constet, parentes suos per nostram exheredationem à suc-
 cessione excludere possit. Id quod iterum multo magis ad
 fratres extendendum venit, cum & frater fratris pupilli, &
 consequenter furiosi, legitimus tutor ac curator sit, *l. 4.*
de legit. tut. & l. ne lucrum. 5. C. de Curat. furios. Accedit tan-
 dem, quod legitima ab initio quidem in personis liberorum
 tantum constituta fuerit, quippe quibus propter commune
 parentum votum, dum sibi liberos superstites optant, ma-
 gis hereditas, quam parentibus, debetur. *l. scripto. 7. §. 1.*
si tab. testam. null. ext. & und. lib. postmodum tamen, ob or-
dinem mortalitatis turbatum, ad parentes quoque, l. 15. de in-
off. testam. tandemque per Imperatores, si turpis aliqua per-
sona, quæ juris vel facti infamia laborat, heres instituatur,
 ad fratres & sorores, & consequenter cum legitima exhere-
 datio quoque extensa sit. *Vid. l. 1. de inoff. testam. l. 27. C. eod.*
Nov. 115. c. 4. atq; Nov. 22. c. 47. Frantz. de inoff. testam. n. 27.
& seqq. Barry de Success. lib. 10. tit. 5. & 6.

X. Omnes proinde, quibus legitima debetur, hac nostra
 exheredatione, sive speciatim, sive etiam per præteritionem
 facta sit, à successione excludi possunt, sive liberi, sive paren-
 tes, sive etiam fratres sint, *juxta d. Nov. 115. c. 4. atq; Nov. 22.*
c. 47. Quoad liberos porrò nihil interest, utrum in potesta-
 te constituti, an verò emancipati sint. *Coll. J. Arg. tit. de lib.*
& posth. th. 24. Ac quamvis posthumi, proprie sic dicti, qui
 post mortem testatoris nascuntur, infantes cæteri que im-
 puberes hodie, *ob Nov. 115. c. 3. & l. 33. §. 1. C. de inoff. testam.*
 notæ causa exheredari nequeant, cum in eos exheredatio-
 nis illius causa non cadat. *Petr. Gregor. Tholosan. Synt. lib. 44.*
c. 3. n. 5. & 7. Zas. ad l. 1. §. 3. de vulg. & pup. subst. n. 40. Bona

Omnes, qui-
 bus legitima
 debetur, per
 nostram ex-
 heredatio-
 nem à suc-
 cessione ex-
 cluduntur,

Etiamsi post-
 humi, infan-
 tes ac impu-
 beres sint.



Materia, cir-
ca quam
hæc Exhere-
datio versa-
tur, sunt te-
statoris bo-
na, non nul-
la tamen ex-
cipiuntur,
interque ea
aliena,

mente tamen exheredari, ac in tantum excludi possunt, ut testamentum subsistat, nec per agnationem posthumorum rumpatur. *Mantic. de Conject. ult. volunt. lib. 4. tit. II. n. 15. atq; Meier. in Colleg. Jur. Argent. cit. loc. th. 24.* Excluduntur autem omnes relatæ personæ per nostram exheredationem à successione illius, qui easdem necessario instituere, vel etiam exheredare debuit. Quapropter materia, circa quam hæc nostra exheredatio versatur, sunt testatoris res, sive mobiles, sive immobiles, sive incorporales, præsentis, sive etiam futuræ sint, adeoque in universum omnia ejusdem bonæ, de quibus testamenti factionem habet, (qualia non sunt feudalia, *juxt. text. i. F. 8. restitutioni obnoxia. Jason. in l. filiusfamil. 114. de Leg. 1. n. 68. Apanagium, Springsfeld. de Apan. c. 11. n. 40. aliave, de quibus Dn. Tabor ad Coll. J. A. tit. qui testam. fac. poss. th. 9. ibiq; alleg.*) modo propria sint, non aliena. Quamvis enim res alienæ legari ac per fideicommissum relinqui possint. *§. 4. Inst. de leg. & §. 2. Inst. de singul. reb. per fideicom. relic.* Attamen de his, vel per heredis institutionem, vel per exheredationem, nemo testari potest, cujus prohibitionis ratio inter alias hæc est: quod institutione tribuatur jus adeundi hereditatem, & per aditionem acquiratur jus hereditarium, seu dominium rerum, ad hereditatem pertinentium, universale, quod in rem alienam invito domino haud competit. *Perez. ad C. de hered. instit. n. 15. sub fin.* Accedit, quòd heres non habeat, à quo rem alienam petere possit, secus ac in legato, per tradita *Bachov. ad Wesenb. tit. de his, qui testam. fac. poss. n. 9. & tit. de hered. instit. n. 5. ubi tamen Wesenbec. rationem, à translatione juris competentis desumptam, tanquam minus congruam, rejicit.*

Forma hu-
jus Exhere-
dationis in
provido Pa-

XI. *Formam* hæc nostra exheredatio solennem non requirit, sed in solo parentum provido consilio ac pia voluntate acquiescit, adeoque sufficit, si non notæ causa, nec mala mente

mente facta fuerit, vel ipso Paulo teste in l. Paulus. 47. de bon. libert. in verbis: *Exheredationem nepotis, qua non nota gratia, sed alio consilio adjecta est, nocere ei non oportere, atque eatenus veteri odiosæ exheredationi convenire quidem videtur.* Hanc quippe pater ex LL. XII. Tab. simpliciter peragere, sicque causas exheredationis vel addere, vel etiam prorsus omittere potuit, vel maximè ex hac ratione, quia ipsi quoque jus vitæ ac necis in liberos competiit. *Quare enim non licet exheredare, inquit Paulus, quos & occidere licebat, in l. in suis. 11. in fin. de lib. & posthum. Valent. Forster. de Jurisd. Roman. lib. 1. sub leg. Romuli. 6. n. 21.* Cæteroquin quam maxime differt, præcipue, quia postmodum in odiosa exheredatione pro forma solenni non solum receptum est, ut, sublata sexus atque gradus differentia, in omnibus omnino liberis, five inares sint, five fœminæ, five filii, five nepotes, nominatim fieret, per §. *sed hæc. 5. Inst. de Exhered. & l. ult. C. de lib. præter. vel exher.* Sed & quia Imperator Justinianus exheredationem istam, tum formalem, tum etiam causalem esse voluit in Nov. 115. c. 3. adeoq; complementi quasi loco constituit: Non licere (1.) amplius parentibus, vel præterire, vel etiam exheredare liberos suos, etiamsi debitam legibus portionem ipsis reliquerint: Sed, si hoc velint (2.) efficere, debere tunc causam ingratitude certam, ac in d. Nov. determinatam, exheredationi adjicere, heredemque eandem probare, ut pluribus deducit Barry de Success. lib. 10. tit. 2. n. 7. cui cum Simon. de Præcis haud sufficit, ut causa generaliter exprimatur, v. g. *Filium exheredatum fuisse ingratum, vel inobedientem, sed necesse esse dicit, ut specialiter quoque exprimatur.* Add. Fachin. lib. 6. Controv. cap. 76. Frantzk. ad ff. tit. de inoff. testam. n. 70. atq; Petr. Gregor. Tholos. lib. 44. Synt. c. 3. n. 12.

rentum consilio consistit.

Certo modo Exheredationi odiosæ convenit.

Ab eadem tamen maxime differt.

XII. Hæc ipsa namque exheredationis solennia ad nostram neutiquam spectant exclusionem, Jason ad l. multi non nota. 18. de lib. & posth. n. 9. Sicut enim non semper requi-

Nostra exheredatio etiam per præteritionem fieri potest.



Valet quoq;
sine deno-
minatione
causæ, mo-
do bona
mens appa-
reat,

ritur, ut nominatim fiat, cum etiam per præteritionem quandoque peragi possit, ut jam antea *th. 5.* monuimus. Vid. *Jason ac Brunnem. ad cit. l. 18. de lib. & posthum.* Ita quoque vel ob id, quod favorem & utilitatem liberorum concernit, etiam sine ulla causæ insertione valet, *arg. l. 18. de lib. & posthum. Petr. Gregor. Tholosan. cit. c. 3. n. 12. Barry de Success. d. tit. 2. n. 2. Rittersh. ad Nov. p. 6. cap. 3. n. 22. Dn. Richter. dec. 41. n. 48.* modo de bona disponentium mente & provido consilio, saltem per conjecturas, constet, sicque causa favorabilis appareat. *In exheredatione siquidem expressa vel tacita favorabili, quæ bono fit consilio, non requiruntur causæ, quæ pertinent ad odium, sed sufficiunt causæ, quæ pertinent ad favorem, verba sunt Bald. ad Auth. Ex causa. C. de lib. præter. n. 23. cui ad stipulatur Mant. de Conject. ultim. volunt. lib. 4. tit. 11. n. 14. Hocq; Sichard. ad Auth. Non licet. C. de lib. præter. n. 26. sequenti ex l. filiis matrem. 25. C. de inoff. testam.* defuncto exemplo declarat: Mater, cum ampla haberet bona, filium insuper, quem amabat, & maritum prodigum, videretque, quod post mortem ipsius administratio bonorum, & consequenter ususfructus, ad patrem decoctorem perveniret, si vel ab intestato decederet, vel etiam filium heredem institueret, filium, cui institutionem damnosam esse sentiit, sine expressione causæ exheredavit, heredemque institutum rogavit, ut, cum filius sui juris factus fuerit, ipsi omnia bona cum fructibus sine detractioe Trebellianicæ restitueret. Certe ejusmodi exheredationem, quamvis sine causa facta sit, cum in favorem & utilitatem filii vergat, ne pater dilapidandi occasionem habeat, omnino & quidem rectè valere putat. Add. *Jul. Clar. lib. 3. Sent. §. Testamentum. q. 41. n. 7. ut & Brunnem. ad d. l. 25. C. de inoff. testam.* Quapropter axioma, quod ex *Nov. 115. c. 3.* Dd. tradunt: Liberos non esse exheredandos, nisi adjecta causa legitima, tunc demum procedit, si exheredatio tendat in odium & damnum liberorum; Secus est, si eorundem concernat utilita-

tilita-

tilitatem. Tunc siquidem & sine adjectione causæ valet. *Sichard. ad d. Auth. cit. n. 26. atq; Barry d. tit. 2. n. 24.* modo, juxta antea dicta, ex conjecturis appareat, exheredationem bona mente factam esse. *Jason ad l. 18. de lib. & posth. n. 3.*

XIII. *Salicet.* quidem *ad d. Auth. Non licet. C. de lib. præter. n. 2.* hanc ipsam à *Sichardo* propositam provisionem matris propterea rejicit, quod non sit de causis in *Nov. 115. c. 3.* approbatis, ac mater filio alia, & quidem æque commoda, prospicere possit via, si scil. eundem quidem heredem instituat, expressè verò hanc adjiciat conditionem, ne pater usumfructum habeat. Verùm, sicut prius *Salicet.* præsuppositum circa contraria affatim refutabimus. Causæ namque, in *Nov. 115. c. 3.* propositæ, nostræ planè non congruunt exheredationi. Vid. *Bartol. ad l. cum ex filio. 39. de vulg. & pup. subst. n. 2.* Ita quoque nec posterius usum nostræ exheredationis infringit. Largimur equidem ambabus manibus: Bona adventitia pleno jure filio acquiri, si mater vel alius ex ascendentibus, imò etiam extraneus, filiofamil. aliquid sub hac conditione reliquerit, ne ususfructus patri acquiratur. *Nov. 117. c. 1. & Auth. Excipitur. C. de bon. qua lib. ibiq; Brunnem. Wissenb. ad l. cum oportet. 6. pr. C. eod.* qui tamen Irnerium *d. Auth. Excipitur.* verba hæc: *Ab aliquo parentum,* de suo inseruisse putat. Inde tamen non statim sequitur, quod patri quoque administratio adimatur, aliisque filio curator constituatur, quod ipsum quidem communis Dd. sententia, cui post *Gloss. Salicet. ad Auth. Excipitur. C. de bon. qua liber. Sichard. cit. n. 26. sub fin.* subscribit, adstruit; *Hartmann.* tamen *Pistor. 4. quest. 11. n. 13.* eumque secutus *Carpzov. p. 2. Const. 10. def. 11.* non sine ratione negant. Hi enim, quod pater non statim ab administratione excludatur, etiam si ipsi ususfructus ademptus fuerit, *ex l. ult. C. de Curat. furios.* eleganter deducunt, præprimis, quia in *d. l. de bonis castrensibus,* quorù ususfructus patri non acquiritur, agitur, ac nihilominus furioso, in patris potestate constitu-

Casum à *Sichardo* relatum *Salicet.* ob aliud competens remedium rejicit.

Ejusdem tamen dubia resolvuntur.

Præprimis, quia per ademptionem ususfructus patri administratio non adimitur.

to, cu-

ro, curatorem recte dari, negatur, quia ad gubernationem paterna reverentia sufficit. Quæ doctrina sanè monstrat, quod per ademptionem ususfructus mater non tam plene filio, quam per nostram exheredationem, consulere possit.

Brunnem.
distinctio
circa admi-
nistratio-
nem propo-
nitur.

XIV. Nec obstat, quod *Brunnem. add. Auth. Excipitur. C. de bon. quæ lib.* cum *Castillo* distinguat, ut patri quidem non videatur adempta administratio, si tantum in utilitatem filii ab ususfructu excludatur; aliud verò obtineat, si ob finistram suspicionem ususfructu ipsi interdicator, cum & tunc lex eundem, ut suspectum, ab administratione arceat, quam distinctionem quoque *Salicet. cit. loc.* probat, nec doctrina *Hartmann. Pistor. atq; Carpzov. d. l.* excludit, qui & ipsi aliam superaddunt limitationem, si à testatore curator datus, eique administratio commissa fuerit, quod per *Nov. 117. c. 1.* patri permissum est. *Add. Coler. p. 2. Dec. 226. n. 8. & seq.* ut adeò hisce casibus, quibus mater perinde, ut per exheredationem, filio prospicere potest, hæc nostra exclusio ad minimum superflua cautela esse videatur. Licet enim hanc admittamus distinctionem, non tamen propterea nostra exhereditatio, etiam in casu à *Sichardo* proposito, supervacua est, partim (1) quia eo tempore, quo invaluit exhereditatio nostra, prohibitio ista, ne patri ususfructus quæretur, nondum recepta fuit. Olim siquidem bona omnia, adventitia non minus, quàm profectitia, pleno jure patris erant; *Constantinus* postmodum *in l. 1. C. de bon. matern.* bona materna detraxit, quorum usumfructum patri, filio proprietatem tribuit, quod *Gratian. Valentin. & Theodos. per l. 6. C. Theod. eod.* in bonis materni generis, id est, à materna cognatione delatis, receperunt, aliiq; Imperatores ad lucra nuptialia & sponsalia, *per l. 1. & 4. C. de bon. quæ lib.* produxerunt, usque tum Imperator Justinianus *in l. cum oportet. 6. C. eod.* generali constitutione ad omnia adventitia filiorum extendit, tandemque licentiam *per d. Nov. 117. c. 1.* tribuit, filiis

Insimul tamen demonstratur, quod, ea quoque admissa, nostra exhereditatio in casu proposito utilis sit.

filiis ea lege res dandi, ne ususfructus ad patrem perveniret, ut accuratè demonstrat *Vinn. ad §. Igitur. 1. Inst. per quas person. cuiq; acquir.* partim etiam (2.) quia hæc nostra exheredatio quamplurimos comprehendit casus, ad quos tamen *Saliceti* cautela neutiquam extendi potest, ut proinde, licet in terminis casus propositi aliud adhuc suppetat remedium, hoc nostrum tamen, utpote æque commodum, imò generalius subsidium, minimè reprobandum veniat. *Add. in simili Hillig. ad Donell. lib. 20. c. 3. lit. L. atq; Struv. Ex. 8. th. 93.* Imò, quoties plura circa eandem rem competunt remedia, ad utrumque ut recurramus, prohibitum non est, juxta brocardicum *Dd. notissimum*, de quo latius *Hillig. ad Donell. lib. 21. c. 3.*

Exheredatio nostra latius patet, quam Saliceti cautela.

XV. Formam ergò nostræ Exheredationis sola exclusio favorabilis constituit, modò (1) *in ultima voluntate* peragatur, ex eaque (2) *bona disponentium mens* ac providum prudensq; consilium, si non apertè, ad minimum tamen per indicia certa ac probabiles conjecturas pateat, *arg. l. in fidei commissi. 3. §. 3. verb. idq; sibi mater ideo placuisse testamento comprehendisset. de usur.* Neq; enim ad exheredationem sufficit, aliquo modo, etiam extra testamentum, parentum voluntatem declarari, neque sola causæ veritas sufficit, sed à parente in testamento cum denominatione causæ declarata voluntas spectatur, ut in simili de exheredatione odiosa tradit *Mev. p. 4. Dec. 183. n. 2. & seq.* Sed hac occasione, quoad primum requisitum, non incongrue quæritur: *Num & in Codicillis hac Exheredatio peragi possit? Affirmativam* sententiam *arg. l. Scævola. 76. ad Scî. Trebell.* suadere videtur. Ibi namque pupillo, qui intra pubertatem mortuus est, in codicillis verbis directis facta est substitutio, & tamen non tam præsumptione voluntatis, quod substitutio scripta sit codicillis, instrumento fideicommissorum proprio, quam favore pupilli Prudentibus placuit, ut, quod non potest valere quasi testamentum, valeat instar codicillorum pupillarium ab

Duo requisita nostræ Exheredationis recensentur.

Quæritur? An & in Codicillis fieri possit? Rationes pro affirmativa.

C

inte-

125

Rationes pro
negativa.

intestato, & propter pupillum ut æque inter substitutos reciproca valeat substitutio, teste *Cujac. lib. 11. Observ. 25.* Si jam, propter pupilli favorem, hereditas in codicillis per substitutionem directam relinqui potest, consimili modo favor liberorum Exheredationem in codicillis, & quidem ob commodum eorundem factam, sustinebit. *Contraria & negativa* sententiæ indubitata juris principia succurrunt. Certum namque, imò certissimum est, quod codicillis hereditas dari nequeat, etiamsi testamento confirmati sint. *l. quod permanus. 10. de jur. Codicill. l. 2. C. eod.* Quo posito, ex doctrina contrariorum sequitur, quod hereditas iis, qui vel in testamento scripti, vel aliàs ex lege heredes sunt, in codicillis adimi, adeoque liberi exheredari nequeant, per *§. 2. Instit. de Cod. & l. non codicillum. 14. C. de testam. ibiq. Salicet. Brunnemann. Wissenbach.* atque doctrinam *Barry de Succes. lib. 10. tit. 2. n. 19.* ubi hoc cum *Vasq.* etiam ad matrem extendit, ut nec ea possit filium exheredare, nisi in testamento. Accedit, quod ne quidem heredi, jure instituto, in codicillis ulla adjici, vel etiam adjecta detrahi possit conditio. *l. Divi. 6. pr. de Jur. Codicill. Vinn. ad d. §. 2. Inst. de Codicill.* Aliàs confunderentur jura testamentorum & codicillorum, ac frustra diversa his rebus essent imposita vocabula, si idem in effectu essent ac præstarent, per *l. si idem. 7. C. eod. Coll. J. Arg. ad tit. de jur. Codicill. th. 12. & 13.*

Posterior
Sententia in
thesi vera
quidem est.

Prior tamen
in nostra Ex-
heredatione
ob adductas
rationes
probanda
videtur.

XVI. *Posterior* quidem sententia, si de danda vel adimenda per institutionem & exheredationem hereditate absolute loquamur, verissima est, præprimis, quando codicilli cum testamento fiunt. Illa enim, quæ in hoc genere codicillorum circa hereditatem, vel dandam, vel adimendam, vel saltem ad certum casum differendam, disponuntur, nullius momenti sunt, teste *Bachov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 10. th. 8. lit. A. & B.* Quia tamen multi Dd. interque eos *Grass.* concedunt, quod pater in codicillis bona sua inter liberos etiam inæqualiter dividere, unique plus, quam alteri, as-



ri assignare, imò ad excludendum extraneum, quem in testamento liberis pupillariter substituit, in codicillis alium filium substituere possit, ad hoc, ut prior substitutio revocetur, posterior verò directò quoque valeat, ut latius demonstrat *Barry de Success. lib. 1. tit. 6. n. 8. in med.* ubi ad commune Dd. suffragium provocat, ut adeò ademptio quoque hereditatis, in codicillis favore liberorum facta, subsistat. *Barry d. l. n. 10.* Sanè non videmus, cur non etiam per codillos, præprimis si ab intestato fiant, hæc nostra Exhereditatio peragi possit. Illa namque non nisi bono animo provido ac prudenti consilio suscipitur, sicque commodum succedentium concernit, ut, quod ob favorem pupilli *in l. 76. ad Sc. Trebell.* permittitur, hinc quoque ob favorem liberorum haud denegandum sit, cum & aliàs in codicillis, ab intestato factis, verba directa institutionis ex voluntate defuncti, quæ ex qualitate dispositionis colligitur, ad fideicommissum ita trahantur, ut legitimus heres scripto hereditatem restituere teneatur, *per l. 13. §. 1. de Jur. Codicill. Vid. Bartol. ad d. l. 13. §. 1. atq; Bachov. cit. loc. ut & Barry lib. 10. tit. 2. n. 19.* Hocque multo magis obtinebit, si parens inter solos liberos disposuerit. Quare, quod de codicillis dictum, multo magis ad testamentum parentum inter liberos extendendum venit. Quamvis enim, ex veriori Dd. sententia, quam refert *Dauth. de Testam. in explicat. l. hac consultissima. 21. C. de test. n. 46.* nec pater in hoc testamento liberos exheredare, neque etiam, teste *Barry de Success. lib. 1. tit. 3. n. 4.* præterire possit. Attamen sicut nostra Exhereditatio, ita quoque hoc testamentum in favorem liberorum introductum est, hocque præ cæteris, licet ex Interpretum potius traditionibus, quam juris ratione id fiat, ut post *Jul. Clar. lib. 3. §. Testamentum. q. 8. n. 7. & Anton. Fabr. lib. 6. C. tit. 5. def. 7.* tradit *D. Carpzov. p. 2. Dec. 155. n. 9.* speciale habet, quod clausulam complectatur codicillarem, sicque per eandem nostram

Idem dicendum de testamento Parentum inter liberos.

stram confirmet Exheredationem. Clausula namque ista, ex communi Dd. sententia, etiam vitium in institutione commissum, si forsitan filius præteritus vel non legitime exheredatus sit, supplet. *Vid. Dauth. de Testam. n. 364. atq; Sand. lib. 4. Decis. Fris. tit. 2. def. 2. sub fin. Quæ sententia, licet contraria Barry de Success. lib. 10. tit. 16. n. 20. Fachin. lib. 4. Controv. II. atq; Brunnem. ad l. 13. ff. de inoff. test. verior videatur, si non in aliis materiis, hinc tamen, ubi pietas parentum optimum de liberis capit consilium, vel maxime probanda videtur.*

Conjecturæ, ob quas Exheredatio bona mente fit, pueritiam, prodigalitem aliasque causas concernunt. Ob eas fit vel ad tempus, vel in perpetuum. Ad tempus fit (1) ob pueritiam, si quis à propinqua muliere heres instituatur. atque rogetur, post pueritatem bona liberis testatricis restituere,

XVII. Quoad alterum requisitum notandum, quod conjecturæ, ob quas bona mente provido que ac prudenti consilio, illi, qui necessario aliàs instituendi veniunt, exheredari possunt, vel *pueritiam*, ne bona lubricæ tutelæ committantur, vel *prodigalitem*, vel alias *justas*, in eorundem commodum vergentes causas complectantur, ob quas Exheredatio nostra vel ad *tempus*, vel etiam in *perpetuum* fieri potest. *Barry de Success. lib. 10. tit. 2. n. 24.* Et quidem ad tempus (1.) hæc exclusio ob pueritiam ita peragi potest, si Polidius v.g. à propinqua muliere heres institutus insimulque rogatus fuerit, filix testatricis, cum certam ætatem, v. gr. pubertatem, compleisset, restituere, quicquid ad eum ex hereditate pervenit; Si mater, id sibi ideo placuisse, testamento comprehendit, ne filix tutoribus, sed potius necessitudini res, committerentur, neque tutores interim administrarent, & hereditatem fortè dilapidarent, exclusio hæc in tantum valida est, ut tempore præterlapso Polidius etiam fructus, quos bona fide ex bonis defuncti percepit, restituere debeat, juxta *text. expressum in l. in fideicommissi. 3. §. 3. de usur.* Dilatio enim facta est gratiâ fideicommissarii, ut propterea restitutio fructuum, etiam extantium, plenissime faciendâ sit, ex præsumpta testatricis voluntate, quæ magis filix, quam Polidio, consultum voluit, dum lubricæ tutelæ

telæ fideicommissum prætulit, *cit. l. 3. §. 3. de usur. ibiq. Brun-*
nem. atq. Jason qui ex hoc ipso textu *n. 1.* notat, quod exhe-
 redatio filii impuberis, cui post pubertatem hereditas per
 fideicommissum relinquatur, ad consilium & non ad inju-
 riam facta censeatur, ne bona interim per ipsos impuberes
 aut eorundem tutores dissipentur. Consentit *Mascard. de*
Probat. vol. 2. concl. 715. n. 20

XVIII. Unde fuit *alter casus*, quando vel pater vel mater
 filium quidem ob aliam causam exheredat, extraneum ta-
 men ita instituit, ut post certum tempus filio hereditatem
 restituat. *Petr. Gregor. Tholoj. lib. 44. Synt. c. 3. n. 12. v. gr.* Si
 mater, habens maritum prodigum, ne maritus bonorum
 habeat administrationem, liberos exheredet, extraneumq;
 sub hac conditione instituat, ut liberis, sui juris factis, here-
 ditatem cum fructibus restituat, quem casum jam antea ex
l. 25. C. de inoff. testam. Jul. Clar. lib. 3. Sent. §. Testamentum. q.
41. n. 7. Barry de Success. cit. lib. 10. tit. 2. n. 24. & Sichard. ad
Auth. non licet. C. de lib. præter. n. 26. aliisque contra *Salicet.*
 comprobavimus. Heredes verò, hoc modo gravatos, quar-
 tam Trebellianicam haud deducere posse, post multos
 allegatos tradit *Jason ad l. 3. §. 3. de usur.* eumque securus *Me-*
noch. lib. 4. Presumpt. 28. n. 7. quorum doctrinam non parum
 juvat, quod, juxta veriore & receptiore sententiam, Tre-
 bellianicæ deductio non solum expressè, sed & tacitè pro-
 hiberi possit. *Jul. Clar. lib. 3. Sent. §. Testam. q. 62. n. 3. Barry de*
Success. lib. 15. tit. 8. n. 2. ii. n. 19. & seq. ubi insimul demon-
 strat, quibus verbis tacitè prohibita censeatur, quæ tacita
 sanè prohibitio in nostra Exheredatione ob commodum
 succedentium, quod testator respicit, subintelligenda
 venit. *Tertium casum*, quo nostra Exheredatio tempo-
 ralis est, ipsi filii mores juxta Dd. constituunt. Hinc con-
 cludunt, quod pater filium, quem non industrium esse co-
 gnoscit, usque ad certum ætatis tempus exheredare, extra-

(2) Ad tem-
 pus fit à
 matre ob
 prodigalita-
 tem mariti,
 ita, ut liberis
 restituantur
 bona, si sui
 juris facti
 fuerint.

Heredes, hoc
 modo ad re-
 stitutionem
 gravati, Tre-
 bellianicam
 non dedu-
 cunt.

(3) Ob pro-
 prios quoq;
 mores filii
 ad tempus
 exheredari
 possunt.

C 3

neum

neum vero instituere, ejusque fidei committere possit, ut, postquam filius certum ætatis tempus impleverit, ipsi hereditatem ejusque commoda restituat. *Vid. Zas. ad l. 1. §. substituere. 3. de vulg. & pupill. substit. n. 44.* ubi sequentia adjicit verba: *Hunc casum nos practicassimus in persona cujusdam nobilis, si non fuisset nobili verecundia, sed docui, ut filium heredem instituat sub conditione, si ad meliores & saniores mores redeat.* Atq; hunc casum non solummodo *Barry de Success. d. lib. 10. tit. 2. n. 24.* Sed & præcipue *Alciat. 1. Præsumt. 2. n. 2.* probant. Quamvis *Menoch. 4. Præsumt. 28. n. 6.* illum actum, per quem pater filium, minus industrium, usq; ad certum tempus exheredat, seu ei interdicit, ne ante certum ætatis tempus alienet, non tam exheredationem, quàm alienationis solummodo prohibitionem nominandam esse ducat, cujus rei gratiâ ad auctoritatem *Bartoli, Castrensis* aliorumque provocat. Verùm *Bartol. ad l. cum ex filio. 39. ff. de vulg. & pupill. substit. n. 1.* cum pater filio impuberi emancipato substituere nequeat, *per l. 2. pr. de vulg. & pupill. substit.* hoc solummodo consilii, adeoque *quarti casus* loco, suggerit, quod pater institutionem emancipati filii plane ommittere, eique in tempus pubertatis hereditatem per fideicommissum relinquere possit, ut præteritio hoc modo facta succedat in locum pupillaris substitutionis, nec filius contra tabulas bonorum possessionem impetrare possit, cum in filii provisionem hoc à testatore factum fuerit; Ex quibus tandem *Jason ad Auth. novissima. C. de inoff. testam. n. 24. Carpzov. p. 3. Const. 9. def. II. n. 3. & seq. quintum casum* colligit, si testator timeat infidias vitæ parvuli filii ab agnatis, ac propterea filium prætereat, alium vero instituat, eumq; de restituenda hereditate filio, si major factus fuerit, fideicommissio gravet.

(4) Ad tempus quoque præteritio filii emancipati impuberis, & quidem usq; ad pubertatem, fieri potest, ut sit loco substitutionis pupillaris.

Perpetua (1) est nostra Exheredatio, si filio ob prodigalitatem alimenta re-

XIX. In perpetuum verò hæc nostra Exheredatio fieri potest (1) ob *prodigalitatem*, quando scil. pater filium prodigum habet, nepotesque ex eo, atque nepotes heredes esse jubet,

bet, filium autem exheredat, eique, quod alimentorum nomine sufficit, ab eis certum legat, addita causa necessitateque iudicii sui, juxta consilium Tryphonini in l. 16. §. 2. de Curat. fur. & aliis &c. ibiq; Bald. ubi notat: Hoc casu exheredationem non in odium, sed in favorem potius vergere, ne dissipentur bona. Add. Barry. d. tit. 2. n. 24. Hucque spectat casus à Sand. lib. 4. Decis. Frisic. tit. 2. def. 3. relatus: Mater filium suum Vincentium, filiamque Annam exheredavit ob mores prodigales, ut qui patris prædefuncti bona maxima ex parte prodegerant, ideoque verita testatrix, ne & bona materna dissiparent, profitebatur in testamento, se bono erga liberos suos affectu eos exheredare, ac liberos ex suo filio filiaque legitimè procreandos heredes instituere, ita tamen, ut filio filiaque usumfructum relinqueret; Quæsitum est: An hæc Exheredatio subsisteret? Senatui Frisico visum fuit, quod sic, cum filius non solum ob pueritiam, sed etiam ob prodigalitatē, aliamve justam causam bona mente providoq; consilio exheredari possit, prout ex hæcenus dictis constat. Quare, quod de prodigalitate dictum, ad furorem quoque ita extendi potest, ut testamentum subsistat, quando pater non notæ causa, sed bona mente, ut prospiceret furioso ejusque liberis, filium furiosum exheredavit, apposita causa, cur eum excluderet, nihilominus verò furioso exheredato de alimentis prospexerit. Richter. p. 1. Dec. 41. n. 63. Alium (2) casum, quo nostra Exheredatio in perpetuum fieri potest, Zaf. ad l. 1. §. substituere. 3. de vulg. & pupill. substit. n. 44. hinc recenset verbis: Si fortè in familia nobilium filius sit Canonicus, uberi proventu provissus, & ne testamentum patris rumpatur, si fuerit præteritus, patitur se exheredari, dum modo exprimatur, quod non ignominiose fiat. Et hunc casum habuimus nos Doctores in Facultate ante annos in persona cujusdam illustris. Hæcenus Zaf. Conjung. Petr. Gregor. Tholos. lib. 44. Syn. c. 3. n. 12. Barry. de Success. d. tit. 2. n. 2. Sichard. ad Auth. Non licet. C. de lib. præter. n. 27. Tertio Exheredatio nostra perpetua est, quando extat statutum, ut filii

linquantur
ejusq; loco
nepotes in-
stituuntur.

Quod per casum à Sand. relatum illustratur.

Quod de prodigalitate dictum etiam ad furorem extendi potest.

(2) Perpetua est, si filius aliàs sit locuples permit- tit, ut in commodum aliorum honeste excludatur.

merca-



(3) n̄ perpe-
tuum fieri
potest, si filii
ex statuto
patris debi-
ta exsolvere
cogantur,
et si ab ejus-
dem heredi-
tate absti-
nerint.

mercatorum, et si abstinuerint ab hereditate patris, nihilo-
minus ejusdem æs alienum solvant, quod durum in simulq;
tamen validum est, per doctrinam *Bald. ad l. dotis. 9. C. de jur.
dot. n. 2.* Quare ad hoc, ut statuti dispositionem evitet pater,
cautelæ & remedii loco filium suum exheredare potest, quæ
Exheredatio hac insigni gaudet utilitate, quod per eandem
filius liberetur, quo minus, si patris bona solutioni æris alie-
ni haud sufficiant, ex maternis aliisque propriis bonis ejus-
dem debita exsolvere cogatur. *Vid. Bartol. ad d. l. dotis. C. de jur.
dot. n. 3.* atque *Menoch. l. 4. Præsumt. 28. n. ult. ibiq. alleg. Anchor.
& Imol.* Tandem (4) huc pertinet casus, si parens filium, ære
alieno obrutum, præterit, atque, ne creditores heredita-
tem auferant, nepotes heredes instituit, relatus à *Carpz. p. 3.
Const. 9. def. II. n. 4.*

Mala mente
quis semper
in perpetu-
um exhere-
datur; Bona
mente verò
& ad tem-
pus & in per-
petuum.
Patri, bonam
mentem de-
claranti, præ-
sumtio juris
succurrit.

XX. Quamvis ergò mala mente exheredatus in perpe-
tuum, & quidem etiam à legitima, excludatur, ut *Simon. de
Præcis de Interpr. ult. volunt. à Barry d. n. 24.* allegatus recte
tradit, si modo exheredatio ex justa & vera causa facta sit, no-
stra tamen Exheredatio quandoque ad certum tempus,
quandoque verò in perpetuum fieri potest, ut ex conjectu-
ris hætenus relatis rectè observavit *Barry d. n. 24.* modò
certò constet, Exheredationem bona mente factam esse,
quod etiam ex conjecturis hucusq; enarratis, si ultimæ vo-
luntati insertæ fuerint, in tantum colligi potest, ut v. gr. pro-
digus quoque præsumatur, quem pater vel mater testamen-
to suo prodigum appellavit, modo pater sano consilio illa
verba proposuerit, ac propterea filio prospexerit. *Alciat. 1.
Præsumt. 15. Sand. lib. 4. Decis. Frisic. tit. 2. def. 3. sub. fin.* Si
enim simplici increpatione patris, in testamento facta, opi-
nio filii apud bonos viros gravatur, per *l. ea que pater. 13. C. de
his, qui not. infam.* quia pater non calore iracundiæ, sed ma-
turo potius judicio eandem suscepisse præsumitur, ut adeò
apud graves viros famam quam maxime minuatur. *Molin.
de Just.*

de Just. & Jur. tract. 4. Disp. 7. n. 6. multo magis patris iudicio standum erit, si pater filium suum non solummodo prodigum dixerit, sed & ob eandem prodigalitatē causam ipsi prospexerit; Unde quoque Magistratus hoc paternum iudicium, quod in favorem filii disponit, non verò propriam opinionem sequi debet, ne quem pater vero consilio prodigum credidit, Magistratus precibus alioque vitio corruptus pro idoneo habeat, *l. si furioso. 16. §. 2. de Curat. fur. ibiq; Gloss. Bald. ad d. l. 16. Alciat. cit. Presumpt. 15.* Quamvis non diffiteamur, quod hæc ipsa pro paterno iudicio militans præsumptio, utpote quæ juris est. *Alciat. d. l. probationem in contrarium admittat, ad instar aliarum præsumptionum juris, quæ tam diu pro veris habentur, usque dum probationibus contrariis elidantur. Vid. l. si chirographum. 24. de probat. & presump.* Tunc enim præsumptio nihil operatur, si veritas deducta in contrarium appareat. *Gail. lib. 2. Observ. 144. n. 6. circ. fin.*

Hæc præsumptio tamen probationem in contrarium admittit.

XXI. Quid verò in dubio, si non constet, an bona, an mala mente pater filium exheredaverit, dicendum vel præsumendum veniat? inter Interpretes, propter varias eorundem dissensiones, maximè controversum est. Primò namq; nonnulli præsumunt, patrem bona mente filium exheredasse, quam opinionem præ cæteris *Bartol. ad l. ut iurandi. 7. §. liberi. 6. de oper. libert. n. 6.* ex hac ratione defendit, quod patris erga filios propensa sit voluntas, adeoq; semper præsumatur in gratiam illorum salubrius consilium capere, atq; ita eorum commodis providere, *per l. nec in ea. 22. §. sen. ad L. Jul. de adult.* Quia tamen hæc præsumptio cessat, ubi, patrem ipsum filium lædere voluisse, constat, ideoque alii huic opinioni contradicunt, atque in dubio exheredationem mala mente factam esse statuunt, inter quos præter *Alexandr. Luc. de Penn. Angel. aliosq; eminent Bald. ad l. libert. 10. in pr. C. de oper. libert. Jason. ad l. multi non nota. 18. de lib. & posth. n. 3. ac Zas. ad l. 1. §. substituere. 3. de vulg. & pupill. substit.*

In dubio nonnulli præsumunt, patrem bona mente filium exheredasse.

Alii in dubio Exheredationem mala mente factam esse dicunt.

255

n. 45. Cui sententiæ l. 52. de manumiss. test. suffragari vide-
tur. Ripa quidem ad dissidium hoc componendum distin-
guit: An pater filio aliquid legaverit, ut tunc bona mente e-
um exheredasse præsumatur, sicque opinio Bartoli proce-
dat; An verò ei nihil reliquerit, ut tunc præsumatur mala
mente exheredasse, juxta sententiam Baldi aliorumque.
Aliam tamen Alciat. 1. Præsumt. 2. n. 2. superaddit distinctio-
nem inter illa, quæ jure filiationis ad filium spectant, & alia
bona, ita scil. ut filius simpliciter exheredatus non censea-
tur mala mente exheredatus, quoad ea, quæ ad ipsum jure
filiationis pertinent, ut est jus patronatus, quamvis secus sit,
quoad reliquam hereditatem, cum hæc exclusio simplex
non habeat aliquem colorem pro bono filii, & ita Bartol. ab
impugnatione Alexand. salvandum esse censet. Verùm cum
Bartoli sententia nec jure, nec ratione ulla probetur, distin-
ctiones quoque Ripæ atque Alciati, quamvis easdem Mascard.
de Probat. vol. 2. concl. 716. approbet, ad dissidium componen-
dum parum, imò nihil faciant, in dubio sanè Bald. senten-
tiam eligendam, adeoque præsumendum esse censemus,
exheredationem mala mente factam esse, nisi ex conjectu-
ris contrarium, quod bona mente facta fuerit, probabiliter
colligi possit. Est enim exheredatio actus privativus, a-
deoque, ut odiosus, meritò restringendus, benignior verò
semper sententia, quæ ad favorem filiorum vergit, eligenda,
juxta rationes à Mascard. cit. loc. pro Alexand. & Bald. allega-
tas. Consentit Menoch. lib. 4. Præsumt. 28. n. 5. ibiq; alleg. Vasq.
in tract. de Success. progr. Zas. ad d. l. 1. §. substituere. 3. n. 45. atq;
Sand. lib. 4. tit. 2. def. 3. sub fin.

Baldi sen-
tentia verior,
adeoque in
dubio præ-
sumendum
est, exhere-
dationem
mala mente
factam esse,
nisi ex con-
jecturis ali-
ud appareat.

Effectus no-
stræ Exhere-
dationis
quoad exhe-
redatos (1.)
est, quod
prospiciat,
adeoque nec

XXII. Formam excipit Effectus, qui partim ipsos exhere-
datos, partim etiam heredes, in eorundem locum surroga-
tos, concernit, atq; hætenus sparsim propositus est. Quare,
repetitionis quasi loco, observandum, nostram Exhereda-
tionem (1.) quoad ipsos exheredatos, vocem & figuram ex-
clusionis quidem habere, revera tamen nullam exclusio-
nem



nem odiosam, sed providum potius prudensque consilium complecti, ut propterea neq; ab alimentis, neque à lucris nuptialibus excludat. *Barry de Success. lib. 10. tit. 2. n. 24. ibiq; alleg. Cujac.* adeoque nonnisi abusive exheredatio vocetur. Dum enim bono consilio ad commodum exclusorum peragitur, favorabilis potius est, notante *Bald. ad Auth. Ex causa. C. de lib. prater. n. 42. Mantic. de Conject. ult. vol. lib. 4. tit. 11. n. 13. & Jason. ad l. 18. de lib. & posthum. n. 9.* Id quod (2.) ad præteritionem quoque applicandum est. Quapropter & pater liberos, non tantum emancipatos, juxta doctrinam *Bartoli ad l. cum ex filio. 39. de vulg. & pupill. substit. n. 1.* Sed & cæteros omnes bona mente præterire potest. *Jason. cit. loc. n. 2.* Neque hæc præteritio testamentum ullo modo vitiat. Quamvis enim in favorem liberorum introductum, ut iisdem legitima titulo institutionis relinquatur, adeoque ex causa præteritionis testamentum paternum infirmetur. *pr. Inst. de Exher. liber. ibiq; Harpprecht. n. 1. l. 1. de injust. rupt. ac irrit. fact. testam.* Hæc ipsa tamen dispositio juris fallit ac limitatur, si præteritio in favorem liberorum facta fuerit. Omne siquidem testamentum, quod favorem liberorum concernit, secundum tradita *Dd.* valet, etiamsi legitima titulo institutionis relicta haud sit. *Berlich. p. 3. Concl. 15. n. 54. atq; Carpzov. p. 3. Const. 9. def. 11.* quod præsuppositum (3.) sufficienter innuit: Nostram exclusionem, ad provisionem factam, non solum bonorum possessionem contra tabulas, sed & querelam inofficiosi testamenti excludere. *Dua- ren. ad tit. de lib. & posthum. c. 3. pag. 344.* Ei namque solum, qui injuriam passus est, querela inofficiosi datur, *per l. Papi- nianus. 8. pr. de inoffic. testam.* Nostra verò exheredatio non ad injuriam, sed ad favorem potius vergit. Licet enim formam, non tamen effectum exheredationis habet, teste *Mantic. de Conject. ult. vol. lib. 4. tit. 11. n. 14.* Quare nec ita exclusis querela inofficiosi competere potest, ne contra *l. Si*

ab alimentis
necque à lu-
cris nuptia-
libus exclu-
dat.

Idem effe-
ctus (2.) ob-
tinet in præ-
teritione
bona mente
facta.

Quare (3.)
nec bonorū
possess. nec
querela in-
officiosi te-
stamenti lo-
cum habet.



pater. 12. C. de inoffic. testam. calumniosa inofficiosi actione iustum testatoris iudicium intervertatur. Vid. Jason. ad l. 18. de lib. & posthum. atq; Barry de Succ. lib. 10. tit. 2. n. 24. sub fin. ubi de Jure quoque Novellarum bona mente exheredato querelam denegat, quod assertum pulchre comprobat l. filiis matrem. 25. C. de inoff. testam. Ibi namque in casu, si mater mariti mores suspectos habeat, adeoq; liberos bona mente sub ea solum conditione, si pater eos emancipaverit, heredes instituat, patri bonorum possessio & querela inofficiosi vel ex hac denegatur ratione, quod filiis nullam injuriam fecerit mater, sed potius putaverit providendum. Vid. Brunnem. ad d. l. 25.

Per nostram Exheredationem (4.) etiam legitimæ onus imponitur, quod latius demonstratur.

XXIII. Unde (4) fluit, quod per hanc nostram Exheredationem etiam legitimæ onus, conditio atque dies imponi possit. Quamvis enim legitima sine omni onere, conditione, dilatione atque gravamine relinquenda sit, per l. 30. & 32. C. de inoff. test. in tantum, ut eidem nec conditio quidem potestativa addi queat, juxta comunem Dd. sententiam à Barry de Success lib. 2. n. 3. relatam, quod alleg. text. congruere videtur, si per istam conditionem in legitima quis valdè gravetur, secus esse videtur Dn. Struvio Ex. 33. th. 46. si conditio ista facilè impleri possit; Tamen hæc prohibitio cessat, si conditio vel onus impositum commodum succedentium concernat, nec sit appositum ad gravamen, sed ad provisionem. Tunc enim ejusmodi dispositio de jure valida & efficax est, ut pluribus deducit Simon. de Præcis de Interpret. ult. vol. alleg. à Sand. lib. 4. Dec. Frisic. tit. 2. def. 3. circ. fin. Consentit Jason. ad l. 18. de lib. & posthum. n. 6. Nonnulli quidem, interque eos Bald. ad l. Si pater. 24. de Instit. & substit. n. 3. sub. fin. aliq; à Berlich. Dec. 110. n. 2. allegati Interpretes statuunt, quod onus in utilitatem & favorem liberorum adjectum etiam à liberis impune sperni & rejici possit, cum filius in legitima fit creditor, ut vel propterea dila-

dilationem sive conditionem, etiam favorabilem, neutiquam acceptare cogatur. Contrarium tamen cum *Jason. d. l. Bartol. Salicet. ipsoq; Bald. rectè statuit Boër. dec. 87. n. 4.* Atque post eum præjudicio Scabinorum Lipsiensium & Judici Curialis Wittebergensis confirmat *Berlich. cit. Dec. 110. n. 4.* ob textum expressum *l. 25. C. de inoff. testam.* qui neque per *l. 30.* neq; etiam per *l. 32. C. de inoff. testam.* correctus est, aliàs quod per leges novas in favorem liberorum introductum est, si & priora favorabilia tolleret, retorqueretur in eorum detrimentum & damnum, contra *l. quod favor. 6. C. de LL.* *Berlich. cit. n. 4.* ubi adhuc plura argumenta recenset, hucq; spectat, quod *Dd. communiter tradunt: Onus legitima adjectum, si utilitatem liberorum respicit, à legitima non rejici, cum per id conditio liberorum melior reddatur.* Vid. *Gabriel. lib. 6. Comm. Concl. tit. de Legit. Concl. 1. n. 20. Alciat. 1. Prasumpt. 2. n. 3.* præcipuè verò *Barry de Success. lib. 16 tit. 10. n. 7.* ubi per plures casus demonstrat, quod onus, conditio vel dies, si in commodum & evidentem utilitatem filiorum apponantur, à legitima non rejiciantur. (5) Ad effectum nostræ Exheredationis pertinet, quod filio bona mente exheredato, æque ac instituto, pater substituere possit, *Zaf. ad l. 1. §. 3. de vulg. & pupill. substit. n. 42.* Tandem (6) quod in casu statuti, ut filii æs alienum paternum exsolvant, etiam si paternæ hereditati se non immiscuerint, sed abstinerint, filios ab exsolutione debiti paterni in totum liberet. *Vid. Menoch. lib. 4. Prasumpt. 26. sub fin. Mantie. de Conject. ult. vol. lib. 4. tit. 11. n. 16. atq; th. nostra Dissert. 19.* Quoad heredes verò, in locum exheredatorum surrogatos, hæc nostra exclusio hunc insignem producit effectum, quod (1) Trebellianicam neutiquam deducere possint, si bona mente exheredatis post tempus hereditatem restituere jussi sunt. *Jason. ad l. 18. de lib. & posthum. n. 2.* (2) quod plenissimè facere debeant restitutionem, etiam fructuum, ex præsum-

(5) pater liberis bona mente exheredatis substituere potest.
 (6) In casu statuti, ut liberi æs alienum patris solvant, ab exsolutione liberat.
 Gravati tandem non possunt deducere Trebellianicam.

ta disponentium voluntate, qui magis liberis, parentibus ac fratribus, quam extraneo, consulere voluerunt, *arg. l. 3. §. 3. de usur.* Hinc & Dd. colligunt, quod fideicommissi fructus percepti debeantur, si dilatio, fideicommissio adjecta, fideicommissarii utilitatem respiciat. Vid. *Mantic. de Conject. ult. vol. lib. 7. tit. 10. n. 10.*

Quæritur?
An per No-
vell. nostra
Exheredatio
sublata sit?
Rationes
pro affirma-
tiva propo-
nuntur.

XXIV Denique contrariorum loco non incongrue quærimus: *Num per Novellarum jus, in specie per Novell. 115. hæc nostra Exheredatio sublata sit; An verò etiam post illud adhuc hodie obtineat? Prius, quod scil. sublata sit, vel inde confirmari videtur, quia juxta d. Nov. 115. c. 3. & 4. requiritur, ut exheredatio vel præteritio ex causis ibidem enumeratis fiat, inter quas tamen causæ hæctenus à nobis relatæ neutiquam recensentur, ut vel ex inspectione ipsius Novell. patet. Unde Bald. ad l. cum ex filio 39. de vulg. & pupill. substit. non credit, quod jure novissimo hoc consilium salvari possit, sed testamentum potius cum hac cautela factum ipso jure nullum esse censet, nisi præteritus id ipsum approbaverit. Bald. suffragatur Bartol. ad d. l. cum ex filio 39. de vulg. & pup. substitut. n. 2. in verbis: Sed fateor, quod istud consilium est correctum, & testamentum hoc modo factum est ipso jure nullum, nam præteritio debet fieri ex causis certis nominatis in ista Novell. Hinc & Glossator sibi ipsi hæc in re non constat. Alibi namq; nostram Exheredationem per Novellas sublata esse censet, alibi verò contrarium tuetur. Vid. Bartol. ad l. 18. de lib. & posthum. Verùm posterius, quod scil. hæc nostra Exheredatio per Novellarum jus neutiquam sublata sit, verius est. Novell. siquidem 115. c. 3. & 4. de illa solum exheredatione, quæ mala mente ab iratis parentibus peragitur, cuique nota inest, neutiquam verò de exheredatione favorabili, bona mente ad commodum & favorem liberorum facta, loquitur. Unde quod in eadem de exheredatione nociva, mala mente ad privandum filium hereditate facta, disponitur, nostrum pro-*

Negativa ta-
men senten-
tia, utpote
verior, pro-
batur.

providum consilium intervertere nequit ; Id quod vel ipsa *Novell. c. 5.* evincit. Ibi namque Imperator aperte fatetur, quod hæc disposuerit, ut & parentes & filios à testamentorum injuria liberos reddat. it. quod sola ipsius intentio fuerit, à parentibus & liberis injuriam præteritionis & exheredationis auferre. Cum verò nostra Exheredatio, juxta hæcenus deducta, injuriosa plane non sit, necessario quoque consequitur, quod sub dispositione illius *Novellæ* neutiquam comprehendatur. Vid. *Jason. ad. d. l. 18. de lib. & posthum. n. 6.* Hocq; ipsum *Barcol. tandem cit. loc.* agnoscit in verbis: *Nisi forsam diceremus, quod ibi sint nominata causa ingratitudinis, de causis verò, quæ continent dilationem & provisionem, nulla fit ibi mentio, & hoc satis placet, secundum hoc ista lex non est hodie correctæ, nam iste filius est præteritus ex justa causa sua provisionis. Unde sicut olim non poterat habere honorum possess. contr. tab. ita hodie non potest habere &c.* *Conjung. Hillig. ad Donell. lib. 6. c. 12. lit. H. ibiq; alleg. Simon de Pratis. Sand. lib. 4. Dec. Fris. tit. 2. def. 3. atq; Brunnem. ad d. l. 18. de lib. & posth. n. 2.*

XXV. Quare, coronidis loco, certo certius credendum est, quod nostra Exclusio adhuc hodie suâ gaudeat insigni utilitate, sive per exheredationem in specie sic dictam, sive etiam per præteritionem facta fuerit. Id quod non solum *Decretum Senatus Frisici, die 8. Maji anno 1627. in causa Romck Jacobs & Jan Jaspers cum sociis* latum; Sed & *Responsa approbatorum in Germania Collegiorum Juridicorum* sufficienter innuunt. In causa namque Exheredationis sequens extat Præjudicium:

Ufus tandem nostræ Exheredationis per Decreta & præjudicia Academica confirmatur.

Weilen U. R. guter Meinung / seinen der Vernunfft beraubten Sohn C. dessen Weib und Kindern zum besten / von seinen des Vattern Gütern ein Testament gemacht / neben Andeutung der Ursachen / so ihn hierzu bewogen / daß nemlich der Sohn in grosse Schuld gerathen / und der Vatter so viel vor ihm bezahlet / daß er von des Sohnes Gütern nicht können wider befriediget werden / gleichwol noch viel Schulden vorhanden

255

§§§(32.)§§§

vorhanden / damit der Sohn verhaftet geblieben / und deswegen der Vatter von seiner Verlassenschaft den Sohn C. R. (welcher tempore testamenti conditi, so wohl obitus patris furiosus gewesen / und in solcher Beschwerung gestorben) ausgeschlossen / aber dargegen ihn mit nothdürfftigen Unterhalt die Zeit seines Lebens und seine Kinder mit der institutione heredis bedacht / so sind offterwehnten C. R. creditores des B. R. seel. Testament vor null anzuziehen / und an seine Verlassenschaft der Zahlung halben sich zu halten nicht befugt.

In causa verò præteritionis itidem subsequens prodiit Responsum:

Ob nun wohl die Testirerin auch ihre Söhne in solchem Testament præteriret / und eure Kinder / als ihre Enckelein / allein zu Erben eingesetzt / dieweil aber dennoch solches euch und den Eurigen zum besten geschehen / damit eure Gläubiger nicht zufallen / ihrer Verlassenschaft sich anmassen / und also eure Kinder um die Großmütterliche Erbschafft bringen möchten / so verbleibts bey solchen euer Mutter Testament billich / und es seynd eure Gläubiger daselbe zusechten nicht befugt / B. R. W.

Et hæc de ardua Exheredationis favorabilis materia sufficiant. SS. Trinitati pro gratiosa assistentia laudes persolvimus humillimas, sicq; huic Dissertationi felicem imponimus

F I N E M.



Quisquis desidias molles & marcida luxu
 laudabili fastidio
 despicit otia,
 Et vigili cura Themidi noctesq; diesq;
 labore servit improbo,
 & sua tempora
 Astrææ sacris devotè consecrat, illum
 laus invidenda, & inclytæ
 præmia gloriæ,
 Et populi favor, & victurum in secula nomen
 sequuntur è vestigio, &
 altiùs evehunt.
 Sic miles plagas & vulnera, frigus & æstum,
 famem sitimq;, & pulverem
 tolerat impiger:
 Donec victrices laurus, & signa triumphi,
 prædasq; pingues deferat
 in gremium Jovis.
 Sic quoq; læra brevi referes, Dulcissime Amice,
 tam pertinaci industriæ
 debita præmia:
 Nam quantum studii Juri, quantumq; laborum
 impenderis in hunc diem,
 hoc Specimen probat.
 Nos læto accinimus FELICITER ore; precati,
 ut quæ geris Tibi fluant
 Omnia prosperè!

*Ita præclaris Clarissimi DN. RESPONENTIS con-
 tribus applaudebant ejusdem*

Confalini.
 Herr

E 2

055

§§§§ (34.) §§§§

Herr Hüker / werther Freund /
 wie kan ich Ihn gnug loben /
 in dem ER abermahl erweist Fleißes Proben /
 ER zeigt immer fort derselben mehr und mehr /
 Drum folge bald darauf die höchstverlangte
 Ehr.

Mit diesen wenigen Zeilen wolte dem Herrn
 Respondenten / als seinem werthgeschätzten
 Landsmann und Freunde / wohlmeinend
 gratuliren

Ernst Abraham von Osterhausen/
 Equ. Misn.



Nein Freund so ist's recht gethan!
 Ohne Fleiß
 Niemand je erlangt den Preis.
 Wann der Höchste seine Gaben/
 Nur um Müß den Sterblich wil verkauffet haben;
 Hast du hier
 Schon die Thür geöffnet dir.
 Schweiß und Fleiß / Arbeitvolles Ringen
 Muß doch bringen
 Endlich selbst erwünschten Sieg.

Dieses Wenige wolte seinen herzgeliebten Freund und
 Stuben-Gesellen beyfügen

B. A. Matth., LL. St.




Altdorf, Diss., 1676/77


ULB Halle


3

003 343 685



TA-OL





20 Z12

1677 6a

J. J.
 DATIONEM
 NTE FACTAM,
 RÆSIDE
 MAGNIFICO,
 LICO Sinden / D.
 ec non Reip. Norib.
 onfiliario,
 br. ANNO M. DC. LXXVII.
 ALTDORFFINA
 P. P.
 DOVICUS Wnker /
 Halâ - Saxo.

ALTDORFFI
 is Henrici Schönnerstædt.

Mons. Schilling

